



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita P. Balthassaris Alvarez, Societatis Iesv Religiosi

Puente, Luis de la

Coloniae Agrippinae, 1616

Cap. VII. Incipit exercere ministeria erga proximos: habetque auxilia & monita à Deo Domino nostro, vt simul propria perfectione crescat

urn:nbn:de:hbz:466:1-43347

CAPVT VII.

INCIPIT EXERCERE MINISTRIA erga proximos: habet q̄, auxilia, & monita à Deo Domino nostro, ut simul in propria perfectione crescat.



VM Societas in suis principiis paucos haberet Operarios, & magna esset messis proximorum, erga quos ministeria nostra, quæ multa sunt magnique momenti, erant exercenda: rogabant Dominum messis, ut mitteret Operarios strenuos ad illam colligendam: cumque misisset P. Balthassarem, statim atq; Sacerdos factus est, coepit Confessiones excipere, & cum proximis agere, magno feruore procurans eos ad salutem animarum suarum quærendam adiuuare, & sic conabatur perfecte explere vocationem, ad quam à Deo videbat se esse vocatum. Et quamuis ministeria hæc soleant esse iunioribus, & in virtute Tyronibus periculosa, quia sæpè solet illis euenire, quod sponsæ in suis iniurijs, cum dixit: *à posuerunt me custodem in vineam vineam meam non custodiri*: Nam cum pro alijs volunt esse valde solliciti, seipso negligunt: quia effundunt spiritum, & perdunt deuotionem, cum nimium volunt adherere creaturis, & locum dare superbiæ & vanitatis ventis, cum prospere succedit; & pusillanimitatis, ac impatientiæ cum minus foeliciter. Quamobrem huiusmodi cum

proxim

à eand. l. 6.

proximis conuersatio est magis propria eorum, qui benè profecerunt, valdeq; sunt exercitati in Operibus propriæ perfectionis. Ideò enim (teste *S. Gregorio*) Christus Dominus noster non exiuit ad prædicandum & agendum de Conuersione animarum, donec peruenit ad annum trigessimum, ætatem scilicet perfectorum virorum. Quamuis, inquam, hoc ita sit, gratia tamen nostræ vocationis propria, & feruor eius in Societatis initijs breuius tempus requirebat: Deus enim Dominus noster, quemadmodum in primæua Ecclesia, & principijs aliarum Religionum Tyrones ipsos, & viam virtutis aggredientes, tanquam instrumenta accipiebat, aptosq; reddebat ad expugnandas animas: & hoc modo P. nostro Balthassare vsus est statim atque studijs suis finem imposuit: magnus enim feruor aptum eum fecerat instrumentum ad quæuis egregia cępta: cui voluit Deus singularia talenta, Zelum, prudentiam, ac dexteritatem largiri, ad lucrandas animas, nihil ipso remittente, aut amittente de proprio suo profectu: potius hinc accipit occasionem eum ad altiores perfectionis gradus exaltandi; mysticamque Spiritus scientiam excellentius ei cõmunicandi, idq; tribus admirandis & occultis vijs, quas in huiusmodi casibus Prouidentia diuina seruare solet.

§. I.

P R I M V M. n. ita disposuit ac direxit Deus, vt in quib⁹ locis esset hic Pater, maximè in initijs, curâ haberet vel tanquã Confessarius & Dux, vel tanquã Superior, aliquarũ Personarũ magnæ sanctitatis & excelssæ orationis. in quibus casibus nõ minus feruēs pgnitēs iuuat feruētē cõfessariũ; quã

*Hom. 2. iij
Ezech.*

quàm è contrà: nam vt is qui ducit regitq; alium
 eum iuuat doctrina, ac directione sua: ita qui ducitur,
 & dirigitur feruenti suo exemplo Ductorem suum etiam adiuuat: & vterque sunt tanquam
 duo illi Seraphini; quos vidit Isaias, magnis vocibus
 mutuo sese excitantes, & inuitantes ad laudes
 Dei, & canticum diuinæ eius gloriæ: aut etiam
 tanquam illa quatuor Sancta animalia, seipsa mutuo
 alis suis percutientia, & ad cursum impellentia:
 verba enim sancti & feruentis Magistri sunt
 flammæ instar illustrantium, & inflammantium
 cor feruentis discipuli; huius autem exempla
 sunt tanquam ignis feruentem Magistrum accendens.
 & hac ratione mutuo sibi reddunt bonum, quod ab
 inuicem accipiunt. Et cum hic Pater multum profuerit
 pluribus personis sanctitate præcellentibus,
 vt iam cœpimus insinuare, & mox fusius explicabitur:
 ita ipse ab eisdem magnum accepit fructum,
 excitatus eorum exemplo ad progressum in Oratione,
 & mortificatione cæterisque virtutibus, quæ in eis
 elucebant.

AD HÆC, cum huiusmodi personæ rationem
 animæ suæ reddunt suo directori, & interna
 sua, quæ in se geruntur, aperiunt: simul & eadem
 opera tale quid non cogitantem, aut quærentem
 docent; aperiuntque illi oculos vt videat, &
 obseruet admirandas vias & rationes, quibus
 Deus animas ducit; donaque & gratias, quas illis
 communicat: suntque instar viui libri, in quo ar-
 cana & scientiam mysticam legat, quam Spiritus
 sanctus scribit in cordibus Electorum; quamuis
 illi ex se valde sint simplices: & hoc ipsum directorum
 obligat ad Sanctorum libros euoluendos,
 vt illi

Ezech. 3. 12.

vt illa secreta assequatur, ne ipse decipiatur, nec eos decipi permittat, qui ipsius curæ sunt commissi. Vtraque autem hac ratione profecit multum ipse Pater Balthassar, agens cum animabus valde à Deo illustratis, & nominatim cum sancta illa matre Thereffa de Iesu, cuius oratio, & Spiritus adeo fuit excelsus, vt ad eum cognoscendum, (quemadmodum ipse dixit Patri Francisco Ribera, qui eiusdem sanctæ vitam conscripsit) magna attentione & cura legerit multos spirituales libros, qui sunt editi; nec his contentus recurrebat cum tanto feruore ad Dominum Deum nostrum, vt ab eo coeleste lumen peteret, ne deciperetur, vt illud impetrauerit, valdeque illustratus fuerit ad discernendam spirituum veritatem. In quo præterea ad literam impletum videtur illud Ecclesiastici: a *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit; occulta prouerborum exquiret. & in absconditis parabolarum versabitur, cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ implebit illum: & ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ.*

a Eccl. 39. i.

HINC tertia via oritur, qua Deus Dominus noister, animarum Duces ac Magistros, efficit perfectos. Nam quemadmodum Reges nutricibus filiorum suorum dari iubent preciosos, ac delicatos cibos, vt bonum aptumque lac habeant, ad eisdem filios lactandos: ita Rex coelestis solet preciosos etiam selectosque spirituales libros ijs præbere,

F

b 2. Cor. 1. 4.

bere, quos Magistros ac Duces constituit animarum, ut selectum copiosumque lac habeat doctrinae, vitaeque exemplaris, qua possint eas alere iuxta illud Apolloli: *b siue consolamur siue exhortamur à Domino, id fit pro vestra exhortatione & salute.* Cum igitur Deus Patrem hunc fecerit nutricem tot animarum sibi dilectarum, praeuenit eum in benedictionibus dulcedinis, efficiens ut experientia ipse virtutes illas agnosceret, & exerceret, quas in eis platurare posset; dotauit eum scientia spiritus, dono contemplationis, aliisque admirandis donis, de quibus inferius fusiùs: nam licet in initio repugnantiam aliquam sentiret ad agendum cum proximis, ut ab hac occupatione se subtrahens, plus temporis sacre lectioni, orationi, & familiaritati cum ipso Domino daret: mox tamen aduertit errorem, expertus plus spiritus ac deuotionis dari sibi per viam occupationum circa iuuandas ex Obedientia animas, quam in sola sua recollectione, quam studiosius querebat. Quare in suo libello notat: eos, qui ex Obedientia Domini exeunt ad agendum cum proximis, nec fidem domi relinquunt, experiri gratias, iucundiusque lucis, ac deuotionis alimentum quam si se domi continerent: id enim significasse Psalmistam, cum dixit: *c qui descendunt mare in nauibus facientes operationes in aquis multis: Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo.*

c Psal. 106.
23.

§. II.

AD HÆC omnia multum eum iuuat ipsa Oratio, in qua magnas consolationes sensaque spiritualia Deus illi communicauit, quibus ad agendum cum proximis, nec propterea negli-

gendam propriam perfectionem eum exstimulabat: multa suggerens documenta & rationes, quibus utrumque coniungeret. Ex hoc nomine dedit illi magnam opinionem, & æstimationem excellæ Vocationis Societatis propriæ; & ut agnosceret magnum beneficium Dei fuisse, quod ad tale tamq̃; egregium opus vocatus esset, quo ipse Dñs magnopere delectatur. Cùm semel opus quoddam egregium præstitisset, sequenti die mane sub oratione vidit Christum Iñn nostrum præclaris donis valde onustum, & onere illo quodammodo afflictum, ac desiderantem exonerari, & propesum se ostendentem ad gratificandum exonerati: & quavis magno desiderio id cuperet, non tamen onus deponebat, eò quòd vasa deessent, in quibus eius dona reponerentur. Ex quo intellexit hic Pater, opus suum fuisse diuinæ maiestati acceptum; & per charitatis opera obtineri ab ipso ingentia bonâ; sibiq̃; talem se ostendisse Christum, ut ipse ad huiusmodi opera magis excitaretur; & alios ad eadem exercenda exstimularer.

ALIA vice fecit Deus, eum sentire: amorem erga proximos esse rem valde sacram, magnumque amoris Dei, & obedientiæ, qua anima mandatis eius pareat, testimonium; & quod ipse Deus multum sibi in eò complaceat, indicium. Et qui DEI vocibus non obsurdescunt, omnia officia, quæ proximorum charitas exigit, libenter ex Obdiētia amplectuntur: nam quòd illis de se ac rebus suis largiuntur: existimant se Deo dare, pro cuius amore illud donant. Et hac consideratione dulcescit illis, quòd seruiant proximis; eosq̃; tolerant, & tanquam mollem ac suauem ceram illis se præbeant;

„ suamque amicitiam offerant. à quibus si quando
 „ offendantur, libenter eis ignoscunt, lætumq; vul-
 „ tum ostendunt, dulciãque verba dant : certò sibi
 „ persuadentes, quales ipsi erga proximos se gesse-
 „ rint, talem Deum erga se experturos: si dulces
 „ dulcem; si misericordes, misericordem; si insulos
 „ etiam insulsum: credentes eius verbo, (quod vel
 „ ipsa experientia verissimum esse constat) quòd
 „ a Luc. 6. „ a qua mensura mensi fuerint, eadem eis remetetur.
 „ 38. „ Quamobrem ipsas proximorum necessitates re-
 „ putant sibi tanquam ditissimas aurifodinas, et
 „ quibus animæ propriæ plurimū ditescunt, & quo-
 „ tidie illustrantur. Quod Sacramētū absconditū
 „ cognouissē, valde illud admiratus, & venerat.

NE aut̄ animo deficeret ob pericula & difficul-
 tates in tali ministerio occurrentes, fecit Deus
 agnoscere ac verè sentire bonum ex eo proveni-
 Quare, cum illi thesauros aperuisset in illo Dan-
 b Psal. 106. „ dis versulantes: b qui descendunt mare in nau-
 „ 23. „ bus, facientes operationem in aquis multis: ipsi vide-
 „ bunt opera Domini: statim intellexit, eos hoc debe-
 „ re attendere, sibiq; persuadere: quod si verè in ma-
 „ re descenderint, illud sit perturbandū. Ided enim
 „ addidit Psalmista: *exaltati sunt fluctus eius, ascen-*
 „ *dunt vsq; ad cœlos, & descendunt vsq; ad abyssos.*
 „ autem permittit Deus, vt *clament ad Dominū, cum*
 „ *tribulantur,* & ita crescant; non aut̄ vt pereant.

Serm. 12. in
 Cant.

propterea S. Bernardus dicebat: agere cum pro-
 mis, etiam si aliqui defectus admisceantur, melius
 quid esse, quàm seorsim & solum etiam sine illis
 orare: ex altera enim parte magnę sunt occasiones
 in virtutibus plurimum proficiendi: quare dice-
 „ re solebat: virtutem manere exiguam, donec in-
 „ gen-

gendo cum proximis probetur: tunc enim chari-
tatem, humilitatem, patientiam, & puritatem ma-
gnos sustinere ictus: prodesse autem nobis pluri-
mum illorum studia, & propensiones valde à no-
stris diuersas; cum eas propter Deum toleramus.

SED quoniam huiusmodi cōuersationis pericula
oriuntur quoque interdum ex nostra propria debi-
litate dedit illi Dominus magnam de beneuola sua
prouidentia fiduciam; ac de auxilio, quod solet ad
huiusmodi actiones conferre. Circa quod habuit
sæpè in suis orationibus admiranda & singularia
fensa in varijs occasionibus, quorum in singulis ferè
capitibus fiet aliqua mentio. Hoc nunc tantum po-
nemus, quo ille magnum accepit animam, ad se Dei
consilij subijciendum. quæ stultitia, inquit, est, exi-
stimare, te rectè aliquid facturum, ad quod non te
permoueat Deus? aut ipsum non fore voti sui cō-
potem, cum aliquid in se recipit: etiam si media, &
rationes, quibus illud ipse intendit, alienæ tibi, &
quasi disparatæ videantur? si d. puer à Ionatha mis-
sus, ut sagittas, quas ipse iaciebat colligeret, & ad se
referret, hæssisset in externa eius actione: dixisset:
Dominum suum, sensum & iudicium amisisse: eò
quod non ad cōstitutum signum & metam; sed valde re-
motè illas iaceret: rei tamen veritate cognita, re-
ctissime sagittas Ionathas iaciebat. Hunc ergo in
modum Dei consilia, quæ sæpè ab ignaris scopi &
finis, quem ille intendit, extra rem iudicantur: sunt
tamen in se rectissima, valdeque efficacia ad finem
consequendum, quem ille intendit, quibuscunque
tandem medijs ad id utatur.

DENIQUE oratio Sancto huic viro erat turris
quædam Davidis, omni armorum genere ad defen-
den-

dendum & offendendum refert a, vt posset peccatores expugnare, nō laesus ab illis. Erat idē specula, ex qua prospiciebat propria & aliorū pericula, vt auerteret. Erat quoq; ei occultū penetrabile, in quo cū Dño nostro agebat de ijs, quæ esset cū hominibus acturus: studendo prius apud eundē Dñm obtinere, quod in eis perficere intenderet, & vt omnia verba, modulq; ea illis proponēdi inspirarentur: ac docerentur ab ipso Deo, cuius negotiū, aiebat, esse hoc, iuuandi animas: ac proinde ipsius virtute bonum esse exitum habiturum. Erat quoq; illi Oratio, cellarium preciosorum ipsius Domini vinorum: in quo Spiritus S. eo multo eum inebriabat, quod Apostolis propinavit, cū illi linguas igneis loquerentur. Ex quo magna illa vis proueniebat, quam ipsius exhortationes habebat; imò & literæ, quas scribebat: nā eius verba adeo viua erant, & efficacia: vt non reuenterentur vacua, sed cordi audientium infigerentur, in quo ita operabantur, vt impellerent ad malam vitam deferendam, aut torpentem magis excitandam. Hoc modo ministeria, quæ cum proximis ex obedientia peragebat, faciebant ipsum in Spiritu proficere: quemadmodū corporalis cibus corpus ipsum impinguat, iuxta illud Christi Dñi verbū ad suos

e Ioan. 4.34. Apostolos: e meus cibus est, vt faciam voluntatem eius. qui misit me, vt perficiam opus eius: salutē scilicet hominum: & in hunc finem valde perpendebat sententiam illam S. Gregorij: esca iustorum est conuersio peccatorum. Et quemadmodum f A-

f Iob 9. 26. quila, vt in libro Iob dicitur, vbicunq; videt cadauer, volat velocissimē ad escam, vt famem suam satiet: ita Iustus Zelosus vbicunq; videt peccatores conuer-

conuertendi occasionem, accurrit, vt hoc cibo, quo tantopere Deus delectatur, sibiq; adeò est utilis, vescatur, & saginetur.

NE TAMEN in aliud extremum incideret, nimis liberè & incautè cum proximis agendi, effecit Deus, vt sentiret ipse, sibiq; omninò persuaderet: magnam virtutem esse necessariam ad hoc ministerium securè præstandum. Magnam, inquit, ne cum improbis ac perditis hominibus agens, ipse etiã peccet; & innumera audiens inepta, ipse etiã ineptus fiat; & audiens mille sordes, & ipse inficiatur, & maculetur; nec genua sua, honoris idolo, quod mundus adorat, flectat. Quod si ad euitandam aliquam iacturam opus est magna virtute: quanta erit necessaria ad se ipsum, & proximos custodiendos? talis certè esse debet, vt ipsum virus, quod sensuales homines occidit, ipsummet nutriat. id enim sibi vult illud Osee: *g peccata populi mei comedent Sacerdotes.* quare iure optimo sanctus Dionysius aiebat: neminem tuò posse Magistrum agere in rebus diuinis, quia has non habeat conditiones. Primam, vt sit Deo similis; Secundam, vt is illum exponat ad volandum, Tertiam, ne is incurius tale munus aggrediatur. Hæc autem consequetur, si per orationem pendeat à Deo, magna fide, ac fiducia, quòd auxilium ab eo accipiet, à quo mittitur; nec patietur, ipsum in eo negotio perire, quod ipsius iussu aggreditur. Ex parte tamen sua conari debet, vt plurimos habeat oculos quemadmodum cœlestia illa animalia; seque valde continere, ne liberam det oculis, linguæ, aut manibus libertatem; nec in-

gerat se occasionebus, quas posset vitare: ex
eis enim lapsus eueniunt; non verò ex illis, qui-
bus Deus illum immittit. Ad finem etiam ministe-
rij sui examinet, quid egerit; & in quo limites
suos excefferit: ac denique poenam aliquam ad-
hibeat, & remedium in futurum.

CAPVT VIII.

PRVDENTIA, AC DEXTERI-
tas eius in iuuandis animabus; & qui-
bus medijs vniuersim ad id
vtebatur.



a Matth. 10.
16.

b 2. Cor. 12.
16.

VRE merito Christus Domi-
nus noster Euangelicis suis o-
perarijs commendauit, vt in
commisissis sibi ministerijs
a prudentes essent sicut serpentes
& simplices sicut columba: eo
quod vtrumque necessarium
esset ad proximos iuuandos absque iactura pro-
prij profectus. à serpentibus accipere debent pru-
dentiam, dexteritatem, & sagacitatem ad animas
Deo lucrandas, adhibentes omnia media ad id con-
ducentia, ita vt, si id opus esset, etiam (sicut Apo-
stolus fecit) b astuti sint ad eas dolo aliquo sancto
capiendas. à columbis accipere debent simplici-
tatem & puritatem intentionis, mansuetudinem
& humilitatem, ac debitam innocentiam: vt hu-
manitate sua bonoque exemplo animas alliciant.
Hoc documentum exactissimè Pater hic Balthas-
sar seruauit, lux enim coelestis in oratione sibi
Deo